



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

XVI. Privilegium Calixti Papæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

esse affirmabat, aliqua largitione aut feudatione, sine recompensatione, tabulam minuere successorum. Ad hanc ergo excludendam suspicionem, & ne cuiquam succedentium sibi Episcoporum fas sit dispositioni eius quidquam superordinare, vel ab ipso bene ordinata rescindere, sedes apostolica, eius postulatione, super his omnibus huiusmodi ei confirmationis priuilegium postulauit.

PRIVILEGIUM CALIXTI

Pape.



CALIXTUS Episcopus seruus seruorum XVI

Dei, venerabili fratri Ottoni Babergensi Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem. Sanctorum Patrum præceptis & Canonicis sanctionibus demonstratur, quod prædia & possessiones Ecclesiarum, quæ vota fidelium, præcia peccatorum & pauperum patrimonia non immerito nuncupantur, vendi vel alienari non debeant. Quæ enim diuinæ maiestatis obsequio, & celestium secretorum usui sūt dicata, non decet in alienum ius redigi, vel in alterius seruitij formam transmutari. Nempe vt beati SYMMACHI Papæ verbis loquamur: Possessiones quas vnusquisque Ecclesiæ propriè dedit, aut reliquit, arbitrio alienari quibuslibet titulis aut distractionibus, vel sub quocunque argumento non patimur. Ea propter nos tuis iustis postulationibus annuentes, mansos qui Episcopalis mensæ tuæ seruitio dediti sunt in eodem statu, in quo benè à te dispositi cognoscuntur futuris temporibus permanere præsentis scripti nostri confirmatione sancimus; statuentes, vt nulli successorum tuorum, vel alicui hominum liceat eos vendere, siue in laicorum beneficium tradere, vel in vsus ali-

Yy 3

os com-

os commutare. Sed sicut à te dispositum est, de vnoquoque prædictorum mansorum denarius vnus annuis singulis **B**BERGENSI pro anima Imperatoris **H**ENRICI fundatoris eius ad concinnanda luminaria conferatur. Abbacias vero & **R**EGVLARES **C**ANONICAS, per industriam tuam in religionis ordine stabilitas, & alia à te recta constituta, nulli hominum facultas sit in posterum immutare. Si quis autem contra hanc confirmationem venire temerario ausu præsumpserit, excommunicationis vinculo subiacebit. Data Laterani. Idibus Aprilis, Indictione secunda.

QUANTVM EPISCOPIO
contulerit in adificiis &c.

XVII.

REM quoque familiarem Episcopii, sicut prædijs & possessionibus, ita etiam ædificijs & castrorum munitioibus adiuuat atque sublimauit. Nam per diuersa loca & curtes Episcopij, quatuordecim basilicas & quatuor canacula elegantis fabricæ construxit. Præterea sex Castella, quæ pridem non habuit, dominio Episcopatus adiecit, * com-
mi videlicet **Albunestein**. Secundum **Lupoldensem**. Tertium **Gölnenredt**. Quartum **Hemphenveld**. Quintum **Ebersperlach**. Sextum **Eskenveld**. Castrum vero **Albunestein** / quod etiam dicitur **Bortenstein** / fere in medietullo situm Episcopatus, octingentis argenti libris, nec non xvii. auri talentis comparauit. Prouidens in hoc sibi & posteris non modicum pacis subsidium; quia bonis Ecclesiæ in circuitu positus defensio est, & terror inimicis. Multa quidem commemorare possem, quæ illius studio ac labore in rebus temporalibus Episcopatui accessere; sed

lego castrum